

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1887

Auteur(s) : Guillaume Paynel [particulier]

Bénéficiaire(s) : Hambye, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1132-1151]

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillayme Paynel notifie la fondation de l'abbaye de Hambye et la donation y faite par lui-même.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XV, col. 241.

Dissertation critique

Épiscopat d'Algar, évêque de Coutances, 1132-1151.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Willelmus Paganellus, consilio et assensu filiorum meorum Hugonis et Fulconis, et Thomæ et Johannis, unam abbatiam fundavi in propria hereditate mea apud Hambeiam, pro salute animæ meæ, et pro animabus patris et matris meæ, et animabus prædecessorum meorum ; ad cujus ædificationem, et fratrum ibidem Deo servientium sustentationem, donavi ecclesiam de Hambeia cum pertinentiis suis in perpetuum possidendam ; et duas carrucatas terræ in eadem villa, et decimas omnium reddituum meorum totius terræ meæ quæ est in episcopatu Constantiensi, et lanam dimidiam arietum, et tria pondera ceræ in monte sancti Michaëlis, et totum meum sal de Verduno, et pasnagium porcorum ejusdem abbatia, et omnes homines abbatia immunes ab omni consuetudine sæculari, præterea situm abbatia cum pertinentiis suis, et molendinum in eodem situ, cum pertinentibus aquis hinc et hinc, et insulam, et quandam partem nemoris per monstratas divisas, et landas Meleii, et insuper unam cellam in nemore meo apud Monasteria Huberti, cum pertinentiis suis, videlicet cum quadam parte nemoris, monstratis divisas, et duas carrucatas terræ, et duas acras pratorum, et unum hortum, et omnes decimas reddituum in castello de Monasteriis Huberti. Harum igitur donationum est terminus ad festum sancti Michaëlis. Ne autem alicujus prava machinatione valeat infringi, sigilli mei auctoritate roboravi ; teste Algaro Constantiensi episcopo, cujus admonitione hoc opus incæpi, et teste Theoderico abbate de sancto Laudo, et Rogero, et Gisleberto, et Philippo archidiacono, Roberto de Hambeia, et Rogero de Lusoriis, et Hugone de Novavilla, et Silvestro et Thoma Paganellis, et Johanne Paganello, et Willelmo de Verduno, et Johanne de Gaureyo, et Willelmo de Tresgoz, et aliis multis.